

non secus ac laici eodem jure censentur, quandoquidem nec ratione status Clericalis, nec ulla lege acquirendis bonis inepti fiunt. Itaque peculii castrensis et quasi castrensis plenam proprietatem habent, atque jus et arbitrium inter vivos et mortis causa disponendi : in peculio adventitio solam proprietatem sibi comparant, ususfructus et administratio patri defertur ; profectitium vero pleno jure est patris, tanquam ejus unde in filium profectum est. Clerici enim Episcopo inferiores sub patria potestate manent, nisi tractetur de jure aut re spirituali, quod perspicue significavit Bonifacius VIII cap. fin. de judic. in 6 : « In hujusmodi spiritualibus litibus sive causis, quamvis in potestate patris existas, nec alias absque ipsius assensu in judicio regulariter esse possis, ejus cum de his se introumittere non habeat, nequaquam requiri debet assensus. »

Verumtamen Clericis filiisfamilias privilegium tributum est de bonis adventitiis libere disponendi per Auth. PRESBYTEROS cod. de Episc. et Cler. ; et idcirco ea bona, quae in caeteris filiisfamilias adventitia sunt, in Clericis quasi castrensia existimantur, usufructu patri adempto. Quod quidem privilegium Clericis prodest, etiamsi habitu et tonsura clericali non incesserint, quod Congregatio Concilii respondit die 20 Februarii 1616 apud Pignatellum Consult. 7 tom. III. Postquam vero Clericus uxorem duxit, etsi unam eamque virginem duxerit, et conditiones Concilii Trid. sess. 14 cap. 6 de Reform. praestiterit, fori quidem et canonis privilegium retinet, sed reliqua Clericorum privilegia sine ulla monitione, seu ipso jure amittit. Confer Fagnanum ad cap. ODOARDUS de solut. ; et cap. 7 de Cleric. conjug. In bonis item adventitiis ante Clericatum comparatis ususfructus patri non admittitur, etiamsi filius ad Episcopatum assumatur, Molina de Justit. et Jure tom. I disp. 138, et Layman Theolog. Mor. lib. 3 tract. 4 cap. 8. At si Clericus mercaturam fecerit, bona negotiatione quaesita jure spoli Apostolicae Camerae cedunt, adeo-

que Clericus, etiamsi a spolio exemptus ad effectum testandi, aut in haeredes transmittendi, neque per testamentum, neque per donationem causa mortis de bonis ita quaesitis statuere potest ; secus etenim testamentum, aut donatio irrita est, et si intestatus moriatur, non est locus legitimae successioni. Qua de re confer Benedictum XIV in Constitut. APOSTOLICAE SERVITUTIS 24 Febr. 1741, et Clementem XIII Const. CUM PRIMUM 17 Septemb. 1759. At Clericus negotiator, si de bonis negotiatione partis inter vivos disposuerit, rata est dispositio in foro externo, uti ex Bulla Pii IV colligit Filiucci tract. 49, et Azorius quaest. 3.

Quod vero spectat ad bona quasi patrimonialia Clericis licere de iisdem pro libito disponere, sententia plurimorum est, quod tanquam merces et stipendium conferantur, nec fideles eadem largiuntur ea lege tacita, vel expressa, ut si quid honestae tuitioni supersit, in usus pios distribuatur. Hanc opinionem sequitur Bened. XIV de Beatif. servor. Dei lib. 3 cap. 34 n. 23 : « Reditus in duplici sunt differentia, alii qui proveniunt ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, alii qui proveniunt ex bonis ecclesiasticis. Et bonorum quidem primi et secundi generis Ecclesiastici dominium habent, et possunt eorum reditus sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. »

At vero de bonis beneficialibus Canones aliquando Clericis tribuerunt arbitrium inter vivos disponendi, sed testari omnino vetuerunt, ut praeccluderetur occasio divitias coacervandi, dum intelligerent, nullam sibi facultatem superesse de bonis eisdem mortis causa disponendi, atque adeo dum adhuc viverent, in pios usus libentius erogarent. Deinde vero consuetudine factum est, ut Clerici de bonis per Ecclesiam acquisitis testarentur, quam quidem consuetudinem Alexander III cap. RELATUM 2 de Testam. non improbavit, ea tamen lege « ut de his bonis mobilibus pauperibus et religiosis locis, et illis qui viventi servierant, sive consanguinei sint,

sive alii aliqua juxta servitii meritum conferantur. » Ac demum sive privilegio Summorum Pontificum, sive consuetudine, quae saeculo praesertim decimo quinto et in Gallia, et in Hispania, et in aliis Regionibus invaluit, factum est ut Clerici praesertim Episcopo inferiores ecclesiasticos redditus consanguineis, aliisque personis, aut causis profanis testamento relinquere, aut etiam donationibus, contractibus, aliisque modis arbitrato suo distribuere coeperint. Interim testamenta hujusmodi, et contractus in foro externo valent, idque Ecclesia patitur ad vitandas lites, quae passim excitarentur ob difficultatem tum ecclesiastica bona a patrimonialibus discernendi, tum etiam dignoscendi an de bonis ecclesiasticis ex justa causa dispositum sit: interdum enim accidit, ut quae videntur in ditandos consanguineos, et in usus profanos diffusa esse, ea tributa sint in compensationem aut in debitam pecuniam persolvendam: aes enim alienum etiam ex delicto aut contractu illicito conflatum luendum est ex ipsis redditibus ecclesiasticis ne Ecclesia diffametur, quod colligitur ex cap. 2 de Fidejuss. Quapropter Pontifex dum potestatem facit testamentum ad causas quoque profanas condendi, eo fortasse spectat ut hujusmodi testamenta non infirmentur eo quaesito colore, quod ad causam religionis et pietatis conditum non sit. Praeterea Pontifex in privilegio testandi certam pecuniae copiam designat, quam Clericus testamento legare possit, reliquis ipsius bonis ad Ecclesiam redeuntibus unde profecta sunt. At vero ubi Clerici de redditibus Ecclesiasticis liberum habent arbitrium disponendi sive consuetudine, sive privilegio, non idcirco putandum est, quod in externo foro ratum habetur, semper licitum esse in foro interno. Profecto Ecclesia nulla consuetudinis aut privilegii ratione habita, non destitit Clericos monere, res Ecclesiae in pios usus conferendas, et quanquam Doctores existiment, bona quasi patrimonialia et parcimonialia in liberam Clericorum potestatem cedere; certum etiam exploratumque apud

omnes est, redditus beneficiorum superfluos in pios usus erogandos esse, sive haec obligatio oriatur ex justitia, ita ut Clerici male profundentes, et scienter accipientes ad restitutionem obstringantur, sive ex solo praecepto Ecclesiae aut lege charitatis et misericordiae, adeo ut Clerici dissipantes gravi culpa sese inquinent, sed restitutionis onere non ligentur, de quibus disputandi provinciam libenter Theologis relinquimus, eisdemque libenti animo dirimendam relinquimus quaestionem alteram, utrum scilicet Indulta Apostolica de redditibus Ecclesiae prout libuerit distribuendis, in foro duntaxat externo valeant, an etiam iisdem utentem in foro quoque interno securum reddant. Hieronymus Plati librum conscripsit de Cardinal. Dignit. et Offic. quinquies typis recusum, quem Alexander Cardinalis Spada Sacri Collegii Camerarius, Romae anno 1836, rursus edidit. Itaque in eo libro quaestio instituitur de Indulto Apostolico Cardinalibus tributo testandi de redditibus ecclesiasticis, ubi pagina 419 haec leguntur: « S. Romanae Ecclesiae Cardinales et passim etiam nonnulli Beneficarii utique amplissimam hanc habent facultatem testandi de bonis provenientibus ex redditibus Ecclesiasticis, eoque citra dubium quoad forum fori nemo est qui in terris ipsos condemnet; quo vero ad forum conscientiae, et quo ad Ecclesiam triumphantem, vellem ut reflecterent ad ea quae supra notantur. Papa enim dispensat indulgetque, sed num abutens hujusmodi indulgentia et dispensatione tutus sit quoad forum conscientiae, et quoad Ecclesiam triumphantem, quisque consulat quae ibi asseruntur, aliosque Canonistas et Theologos non praetermittat. »

His itaque in medio relictis, quae a Sacris Canonibus, a Constitutionibus seu Indultis Summorum Pontificum, et a consuetudine hac in re inducta sunt, ea summatim colligemus. 1. Clericis liberum arbitrium est sive inter vivos, sive mortis causa de bonis patrimonialibus disponendi, cap. Quia nos de Testam. 2. De bonis quasi patrimonialibus idem arbi-

trium Clericis permissum est; et si intestati decesserint, in utroque genere ejusmodi bonorum, videlicet patrimonialium, et quasi patrimonialium haeredes legitimi succedunt. 3. De bonis beneficialibus, hoc est de pecuniis, aliisque rebus tum mobilibus, tum immobilibus, quas Clerici ex redditibus Ecclesiarum et Beneficiorum sibi compararunt, tum inter vivos, tum mortis causa disponere non vetantur, si tamen dispositio ad pias causas facta sit, cap. RELATUM 2 de Testam. 4. De bonis iisdem beneficialibus, si nihil Clerici constituerint, aut si ad causas profanas testati fuerint, hujusmodi testamentum inspecto jure communi irritum est, et Ecclesia succedit exclusis etiam legitimis haeredibus, cap. 1 et fin. de Pecul. Cleric., eaque bona pro necessitatibus Ecclesiae unde profecta sunt, aliisque piis usibus asservantur, et si Clericus plures Ecclesias aut beneficia obtinuerit, divisio facienda est inter easdem Ecclesias, habita ratione fructuum qui a singulis Ecclesiis percepti sunt. Similiter divisio inter Ecclesiam et legitimum haerem instituenda est, si constet Clericum et patrimonialia et beneficialia bona reliquisse, sed ita permixta inter se, ut discerni non possint. At vero Paulus III aliique Pontifices subsequentes, adempto peculiaribus Ecclesiis jure successionis, bona omnia beneficialia a Clericis relicta Camerae Apostolicae applicarunt, ut eisdem bonis necessitatibus Apostolicae Sedis, totiusque orbis Catholici prospiceretur, quod *jus spoli* appellatur. 5. Bona Clericorum cujusque generis, etiam beneficialia, ad causas quoque profanas tum per actus inter vivos, tum mortis causa valide deferuntur, et si Clerici nullo condito testamento decedant, non Ecclesiae, non Camerae Apostolicae, sed legitimis haeredibus non secus ac patrimonialia cedunt in quinque casibus. I. Ubi jus spoli receptum non est, et antiquissima consuetudine invaluit, ut in eisdem bonis etiam beneficialibus quaelibet persona, aut causa etiam profana haeres valide instituat, et sine testamento legitimi haeredes succedant. II. Ubi de spoliis Cleri-

corum cum Camera Apostolica transactum est per annuam pecuniae responsionem, quae quidem compositio, atque transactio ab aliquis Dioecesibus atque Provinciis pro singulis Clericis beneficiatis iniri solet. III. Ubi Clericus privilegium Apostolicum consequutus est, ut de suis bonis etiam beneficialibus favore consanguineorum, aliarumve personarum, et ad causas quascumque etiam profanas testamentum condere possit, eique nullo scripto testamento decedenti non Ecclesia, nec Camera Apostolica, sed legitimi haeredes succedant. IV. Ubi Clericus fuerit romanus originarius, sive curialis, sive incola urbis, et Romae, aut ejus in districtu intra decem millia passuum decesserit, ex Constitutione Pauli V IN EMINENTI. V. Denique ubi Clericus pensionem aut beneficium, sive unum, sive plura obtinuerit, quorum omnium annui fructus ducata aurea triginta non superent, ex Constitutione S. Pii V ROMANI PONTIFICIS.

§ 120.

DE TESTAMENTIS.

Testamentum est « voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. » L. 1 ff. qui testam. fac. poss. Dicitur autem *sententia justa*, quia nimirum testamentum nullum est, si testator legitima facultate careat, aut legitimas solemnitates non adhibeat, quod infra breviter explicabimus. Aliqui putant per voluntatem justam intelligi quae voluntatem perfectam, quae scilicet haeredis institutionem contineat, sine qua testamentum non subsistit; secus enim definito citatae legis manca foret, proinde haec verba supplenda essent « cum directa haeredis institutione. » Additur *voluntatis nostrae*, quod extrema testantis voluntas in alterius voluntatem conferri nequeat, L. ILLA 32 ff. de Haered. instit., siquidem testamentorum jura per se firma esse oportet.

tet, ead. L. 32, hoc est testamentorum dispositiones robur et firmitatem a se ipsis, et non ab alio accipere debent: adeoque testamentum non valet, si quis hoc modo testetur « in- » stituo quos Titius voluerit. » At Jure Canonico res aliter esse videtur, dum Innocentius III cap. 13 de Testam. illud rescripsit: « quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. » Interpretes autem ingenium mire torquent, ut Juris Civilis sententiam cum sententia Canonum conjungant; qua de re legendus Gonzalez in citat. cap., qui multorum opiniones uberime exponit. Illud certum est, quod saltem receptis moribus testamenta sine haeredis institutione aut certa aut expressa, indubitato aliquo signo in foro quoque ecclesiastico irrita et nulla sunt. Posteriora denique definitionis verba « de eo quod quis post suam mortem fieri velit, » illud in primis significant, quod testatoris morte testamenta confirmantur; ambulatoria est enim testatoris voluntas usque ad supremum vitae exitum, ut dicitur L. 4 de adimend. leg., adeoque testator testamentum mutare, penitus rescindere, et intestatus decedere potest, si maluerit, quod nullum jus in re, vel ad rem transferatur in haerodem vivente testatore. Hinc Puffendorfius, de Jure nat. et gent. lib 4 cap. 8, testamentum describit his verbis: « Declaratio voluntatis nostrae circa successores in bona nostra post mortem nostram; quae tamen ante mortem nostram pro libitu nostro fit mutabilis et revocabilis, et ex qua aliis demum ab excessu nostro jus nascitur. At vero postrema voluntas an naturali, an lege positiva vim transferendi domini accipiat, lis adhuc sub judice est. »

Quibus positis de utriusque juris differentia in testamentis et ultimis voluntatibus, et potissimum de testamentis Clericorum, et ad pias causas disseremus, quod ea sunt, quae ad canonicam disciplinam omnino pertinent.

§ 121.

DE IIS QUI TESTAMENTUM FACERE POSSINT.

Jure civili testamenti factionem habent quicumque testari non vetantur. Vetantur autem: 1. Ob defectum integri status filii familias, nisi de bonis castrensibus et quasi castrensibus, nam in reliquis bonis, etiam patre consentiente, testamentum valide non condunt et ita quidem ut etiamsi pater obierit, testamentum antea conditum non confirmetur; item servi proprie dicti, obsides etiam, et apud hostes captivi, quorum testamenta in servitute condita rata non sunt, etiamsi redierint; quae tamen in civitate fecerant, consistunt, sive apud hostes decesserint, sive redierint. 2. Ob defectum animi vetantur furiosi, prodigi quibus bonorum administratio interdicta est, omnesque rationis usu carentes: item impuberes, nempe masculi ante 14, et foeminae ante 12 annum expletum, qui quidem annus completus dicitur ab iis, qui postremum diem ejusdem anni attigerint. Minores autem testamentum condere possunt, nullo curatoris adhibito consensu, quemadmodum impuberes valide non testantur, etiamsi tutor consenserit, propterea quod testamentum ab alterius arbitrio non pendet. 3. Ob defectum corporis vetantur muti et surdi simul; nam alterutro vitio laborantes testari permittuntur, si aut scriptura, aut verbis voluntatem exprimere possint; caeci vero per nuncupationem testari queunt, dummodo solemnitates servent Legis HAC CONSULTISSIMA cod. Qui testament. facere poss. 4. Denique ob defectum morum, aut famae testari vetantur lesae majestatis rei, quorum bona fisco addicta sunt, L. Quisquis cod. ad L. Juliam Majest.; et Auth. BONA cod. De bonis proscript.; ob crimen famosum damnati, L. 18 ff. Qui testam. fac. poss.; item capitali poena vel deportatione damnati, quorum bona in ascendentes et descendentes, et ex latere us-

que ad tertium gradum transferuntur, cit. Auth. BONA de bonis proscriptor., qua tamen in re recepti mores servandi sunt; et demum apostatae et haeretici, L. 3 Cod. de Apostat.

At Jure Canonico testari quoque vetantur usurarii manifesti, nisi jam usuras restituerint, vel restituendi idoneam cautionem praestiterint, cap. finali de Usuris in 6, Cardinalem hostiliter insequentes, percutientes aut capientes, eorumque socii, cap. FELICIS de poenis in 6; et denique Clerici de reditibus ecclesiasticis, de quibus jam dictum est, et Religiosi post vota solemnia. Aliqui Doctores putant, excommunicatos etiam, saltem manifestos et vitandos, haud posse testamentum condere, sed contra plerique sentiunt ob eam causam quod lex nulla scripta sit, qua excommunicati ea facultate interdican- tur. Confer Pirhing lib. 3 Decret. tit. 24 n. 15. Praeterea jus canonicum filiisfamilias permittit ut possint de peculio etiam adventitio et profectilio saltem ad pias causas et patre permittente testari, cap. 4 de Sepultur. in 6.

Quod vero attinet ad formam testamenti, illud ex jure civili certo modo ordinandum est ut valeat. Praecipue in omni testamento opus est ut aliquis haeres instituatur, idque ad naturam testamenti quodammodo pertinet, ut nequeat sine haeredis institutione consistere; testamentum enim proprie fit ut aliquis in jus defuncti succedat. Sunt praeterea solemnitates aliae quas externas vocant, idcirco quia ad substantiam testamenti non pertinent, sed a legibus constitutae sunt, ut fraudes removerentur, ac proinde in aliquibus testamentis aut plane omnes, aut multae admodum remittuntur, veluti in testamento inter liberos, militum, rusticorum, tempore pestis, apud acta Principis insinuato. Illae vero solemnitates vel ipsum testandi actum, vel numerum, et qualitatem testium spectant.

Primo itaque testari oportet uno actu eodemque contextu, et si testamentum solemne scriptis consignetur, testatorem oportet vel ipsas tabulas scribere, vel eisdem subscribere, aut

si litteras nesciat, octavum testem adhibere, qui testatoris loco subscribat. At si testamentum sine scriptis, sive nuncupativum fuerit, satis est testatorem palam et coram testibus voluntatem suam declarare: attamen vitandi incommodi causa, quod ex morte testium accidere posset, consuevere testamenta haec a Notariis conscribi, ut eorum fides suppleat fidem testium qui obierint. In utroque autem septem testes requiruntur, illique idonei, videlicet masculi, puberes, liberi, sani mente, oculis et auditu, non prodigi, nec jure improbi et intestabiles, neque haeredes scripti, neque pater in testamento filii, nec filius in testamento patris aut fratris quoad in ejusdem patris potestate maneat, et testes specialiter rogati ut intersint, et probe intelligant, cui negotio adhibeantur, quique praeterea ubi testamentum in scriptis condatur, et subscribant oportet, et tabulas sive suo, sive alieno annulo ob- signent.

Sed Jure Canonico « testamenta quae Parochiani coram Presbytero suo, et tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, » uti rescripsit Alexander III cap. CUM ESSES de Testam. Hac super Decretali tria potissimum quaeri possunt. Illud primum est, quis nomine sui Presbyteri intelligendus sit, an Parochus proprius, an etiam substitutus Parochi, sive Capellanus, an etiam Confessarius. Jam vero Doctores omnes consentiunt, nomine Presbyteri sui non quemlibet Presbyterum, licet curam animarum habentem, sed proprium et ordinarium testatoris Parochum intelligendum esse, quod ipse suas oves agnoscat, et praecipuam curam ipsarum habeat: quam ob causam testamentum etiam valet conditum coram Confessario ordinario, et duobus testibus, idque ex communi Doctorum sententia, quia plurimi facienda est fiducia, quam statuit quisque in Confessario, ut reipsa Presbyter suus dici possit, quod Cardinalis De Luca discurs. 25 de Testamen., animadvertit, et Romana Rota declaravit. Verumtamen testamentum, quod